

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio vigesima Tertia,

De

GENEALOGIA
CHRISTI.

Quam

Annunte Θεανθρώπων

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum
proponit*

PETRUS RAM Dithmarsus.

*Habebitur ad diem 22. August. horis
pomeridianis*

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ

JOHANNES Gormann excudebat,

Anno cl. l. CXIX.

CONTINUATIO.

Quemadmodum corpus vivit propter animam, sic anima propter Christum, dixerunt quondam S. Patres; & sicuti discedente anima moritur corpus, ita Christo ex anima discedente, ipsa perit; vitam enim animæ Christus efficit; Qualis igitur Christus est vitæ effector, talis est etiam illa, quam efficit vita. Vir justus propter Christum, qui in illo habitat, vitam vivit Christo similem, ut non tam ipse vivat, quam in ipso Christus, Gal. 2. v. 20. Non ergo minima Christianæ scientiæ pars est, novisse, quam vitam & quid in illa egerit Christus, ut juxta eam veluti vivum vivendi exemplar, mores & negotia nostra componere possimus.

Quoniam igitur primum Christologias nostræ, nimirum de persona Christi, caput expeditum datum est. Ipso Christo duce & auspice, secundum ejus membrum, de Vita ejus inchoabitur, & dissertationibus aliquot in posterum deducetur. Nos hac vice, DEO dante, feliciter initium faciemus, dicturi de Genealogia Domini nostri, tribusq; capitibus, quæ scitu videbuntur necessaria, comprehensuri. Quorum primum probabit, Messiam sive Christum, necessario ex tribu Iuda, domoq; David oriri debuisse. Alterum ostendet, Iesum Christum respectu utriusq; parentis, tam putativi quam Veri ex ea tribu domoq; orcum esse, nec ullum esse inter Evangelistas Genealogiam ejus describentes sententiarum dissidium: Deniq; ulti-

num brevi Meditatione practicâ totam disputa-
tionem finiet.

CAPUT I.

I. Varias fuisse & esse sententias de origine Christi ignotum esse non potest. Faustus Manichæus, ut est apud Augustinum, asseruit, Christum fuisse ex tribu Levi, idq; colligere voluit ex Lucae cap. i. v. 5. & 36. collatis. Augustinus ipse (qui tamen hac in re varius est) alicubi vult eum ex tribu Levi & Iuda utraq; simul ortum. Cujus sententiæ rationem hac narratione reddere voluit Domum Davidis in duas fuisse divisum familias. Quarum altera Regia fuerit, Sacerdotalis altera, banc descripsisse Lucam, Mattheum illam. Addit in super Beda: Quoniam Christus Rex simul & Sacerdos fuerit, ideo congruum esse, ut ex utraq; tribu ortum suum trahat. In eadem opinione fuerunt & alij Patres, multiq; Pontificiorum superioris ævi.

lib. 23. contra Faust.
lib. 2. de Conf. Ev.
ang. c. 2.
lib. 83. qu. 61.
super c. 1. Lucae.

II. Verum nos Scripturæ ductum sequentes originem Christi ex tribu Iuda sola deducimus, eamq; orthodoxam sententiam sequentibus dictis firmamus. Quorum primum exstat Gen. 49. 8. & seq. In quo Patriarcha Iacob moriturus, in Spiritu filijs benedicens, vaticinatur ex Iudæ progenie oriturum Sion sive Messiam. Cujus tum personam tum officium & cultum eo ipso in loco graphice descriptum esse non absq; ratione nonnullis videtur. Cultum quidem v. 8. Laudabunt te fratres & c. & adorabunt & c. Maximus enim, qui Christo à fratribus
Christia-

Christianis exhiberi potest cultus, Laus est & Ad-
oratio. Victoriā; manus tua in cervicibus & c.
Crucem: Ascendisti & c. v. 9. Sepulturam: Re-
quiescens & c. potentem resurrectionem; Quis
suscitabit eum? Tempus adventus: Non aufe-
retur & c. v. 10. Redemptionem & passionem;
Lavabit & c. v. 11. Φιλανθρωπίαν; Pulchriores
sunt oculi & c. v. 12. Doctrinae suavitatem;
Dentes ejus & c.

III. Non possumus quin hic recitem Patrum pias,
licet nimis fortassis allegoricas cogitationes. Qui-
dam enim eorum nomen Iehudah considerant, quod
tum affinitatem magnam habeat cum Tetragram-
mate nomine DEI, ejusque literas omnes, inserto in-
super 7, quod ostium notat, servet; Fiat autem
mentio ostij cujusdam versus Orientem positi &
non aperiendi, per quod neque fas erat virum transire,
quoniam Dominus Deus Israel pertransiit per il-
lam, Ezech. 44, 2. Hinc deducunt, nomine hoc
Iehudah contineri illud de Messia per virginem ex
tribu Iuda (quae versus Orientem castra metari so-
lebat, Num. 2, 3.) tanquam per ostium in hunc
mundum ingressuro mysterium: Alij vero ex hoc
allegato loco v. 10. huiusque verbis יהוה יבא שרה arte
Cabalistica feliciori sanè successu quam ratione
nomen ישו Iesu Colligunt.

IV. Huic dicto clarissimo, alia duo ex Novo Testa-
mento adjungere placet. I. Apoc. 5, 5. ubi vocatur
Leo de tribu Juda, digitumque ad superioris va-
ticiu

Moysi verba (catulus leonis) interdens. 2. Hebr.
7, 14. Qui locus non tantum originem veram indi-
cat, verum etiam falsam insuper rejicit, Manife-
stum est, inquit, quod ex Juda ortus sit Do-
minus noster, in qua tribu nihil de sacerdo-
tibus Moses locutus est. Pugnant igitur cum
hujus Epistole autore, sive is Paulus sit, sive Aposto-
lorum aliquis discipulus, omnes illi, qui Messiam
ex alia & quidem nominatim ex tribu Levi ortum
esse contendunt.

V. Quorum argumenta tanti non sunt momenti,
ut nos ab hac vera sententia deterrere possint. Nam
quod ad locum Luc. 1, 5. & 36. attinet, fieri sane
potuit, ut aliquis de tribu Levi duxerit uxorem de
tribu Iuda, aut Levitarum aliquis filiam suam Iu-
deo in matrimonium dederit. Id enim fieri posse
exempla Scripturae docent, ut Saulis, Davidis, alio-
rum, vide haec loca Exod. 6, 23. 1. Sam. 18, 27.
1. Reg. 3, 1. 2. Chron. 22, 11. & c. Neque etiam illi,
qui legem Num. 36, 7, 8. urgent, adeo sunt rigidi,
ut nullam admittant exceptionem, quinimo, id di-
serte volunt. trieam Leviticam & Regiam stirpem
ab legis illius observatione fuisse immunes, ceteras
non item. Nec enim Levi posteritas, inter duode-
cim Politicas tribus numeratur, forent enim trede-
cim, cum Iosephi soboles in duas sit distributa tribus.
Nec Regia familia in earum censum venire potest,
cum sit publica, supraque omnes tribus, & nihil ha-
beat peculij; Nusquam enim legimus Davidem aut
Saulum

Saulem ad regnum euectos unâ cum fratribus paternam adyffe hereditatem.

V I. Sunt etiam qui vocabulum $\sigma\upsilon\gamma\lambda\epsilon\upsilon\eta\varsigma$ prescius considerant, quod non semper adeo arctam importat cognationem. Quia 1. si non omnes, qui fratres & sorores dicuntur, sunt ex eadem tribu, ut patet Lev. 19, 17. Act. 13, 26 c. 22, 1. & passim in Epistolis Paulinis videre est, Ergo neq; qui dicuntur cognati. 2. Vocabulum hoc $\sigma\upsilon\gamma\lambda\epsilon\upsilon\eta\varsigma$ est, & interdum totam gentem & omnes ex illa ortos notat, Rom 9, 3. ut & vocabulum abstractum $\sigma\upsilon\gamma\lambda\epsilon\upsilon\eta\varsigma$, Act. 7, 3. Item collegas in officio & religione, Rom. 16, 7, 21, ut nonnullorum probabilis est sententia; licet sæpius strictè pro sola familia ponatur, quo sensu capitur Luc. 1, 58. id tamen non obstat, quò minus hic in latiori significatione sumi possit.

V II. In Augustini sententia vix videtur aliqua inesse probabilitas. I. enim; ratio, quam adducit, aperte pugnat cum ipsa sententia. Nam: si Maria fuit ex sacerdotali familia Davidica, quomodo erit ex familia seu tribu Levi. 2. Sequeretur ex Genealogiis Evangelistarum, maternum Christi genus constare non posse, cum uterq; ut ipse ait, non Levi sed Davidis posteros descripserit. II. Pugnat hæc ratio cum historia Regum Iudaicorum & III. cum loco ad Hebr. Epist. suprâ adducto. Posteros autem Davidis legem illam Mosaicam non observasse, ut & Sacerdotes, nullâ verisimili ratione probari potest. Imò cum Urias rex adolere vellet, his verbis refunditur: Non est tui officij, sed Sa-

A 4

cerdo-

cerdotum filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium, 2. Par. 26, 18. Neq; Bedæ congruum solidi quid concludit: Non enim Christus debuit esse Sacerdos terrenus, offerens thymiama, sed cœlestis & perpetuus, qui seipsum DEO offerret agnum immaculatum. Nihil igitur quoad Sacerdotium terrenum commune habet cum Levitis.

IIX. Probavimus, debuisse Christum venire de tribu Iuda: videndum iam, ex qua familia. Scripturam habemus satis dilucidam, quæ Davidi hanc promissionem factam dicit, 2. Sam. 7, 12. & seq. ubi notandum quædam de solo Salomone, quædam verò de Christo esse intelligenda, ut monemur, Hebr. 1, 5. Idem etiam probatur ex dictis, in quibus surculi Iesse revirentis fit mentio, vide Ps. 89, 4, 5. &c. Psal. 132, II. Psal. 110, I. Jer. 23, 5. Ezechiel. 34, 23, 24. Amos 9, II. &c.

CAPUT II.

I. Id caput ut eò melius demus expeditum, Genealogiæ Christi ab Evangelistis Mattheo & Luca descriptæ erunt expendendæ. Non enim nos ferit admonitio Pauli de genealogijs, quæ extat 1. Tim. 1, 4. Tit. 3, 9. Nam ante adventum Messie necessaria erat Genealogiarum diligens asservatio tres potissimum ob causas. I. Politicam, ne bona confunderentur, quæ equaliter in terra Canaan tribubus erant distributa. II. Ecclesiasticam, ne qui assisterent altari divinum peragentes cultum, ex alia invenirentur tribu quàm Leyi. Inde est, quod
Nehem.

Nehem. 7, 63. legimus, quosdam fuisse Sacerdotio motos, quia non potuerint post reditum ex Babylonie Scripturam seu Genealogiam suam exhibere. **II**. Spiritualem, ut certo constare posset, ex qua tribu promissus Messias ortus esset. Qui postquam venisset, & excidium tam politici quam Ecclesiastici status jam jam impenderet, nullus supererat Genealogiarum usus. Hinc divinitus factum, ut Herodes easdem in loco publico sepositas combureret, quarum tamen descripta exemplaria nonnulli privatim retinuerunt, & ex iis quaestiones futiles movebant, id quod Apostolus reprehendit.

II Presupponendum autem est necessario, non esse unam & eandem utriusque Evangelistae Genealogiam, sed diversas. Queritur autem, in quo diversitas ista consistat. Variæ sanè sunt semperque fuerunt inter se non leviter dissidentes opiniones, quæ hanc disceptationem reddunt intricatissimam. Multi enim in conciliandis hisce genealogijs multum humani passi sunt, qui postquam pertinaces nacti sunt sectatores multarum turbarum & spinosarum quaestionum autores inviti licet & nihil tale cogitantes evaserunt. Hinc de Ioas, de Zorobabele ejusque parentibus de Iechonia, de Mathath, quem alterum Evangelistarum leviter inflexis literis Mathan nominasse volunt, tot natae sunt altercationes, quarum aliquas tantum perstringemus cum omnibus enumerandis vix charta sufficeret.

III. Cum autem adhuc dum nulla inventa fuerit sententia sacris literis magis congrua &

A 5

celeber-

celeberrimis hujus seculi Theologis adamata, quam
D. Chemnitz, eam nos in principalioribus seque-
mur. Has autem ponimus Genealogiarum diffe-
rentias, ex quibus deinde vera sententia elucescet.
I. Quod Matthæus ab Abrahamo initium sumserit,
Lucas ad Adamum usq³ seriem suam deduxerit.
II. Quod ordinem contrarium servaverint. III.
Quod Matthæus Salomonis adeoq³ Iosephi. Lucas
verò Nathani & Mariæ genus & familiam ex-
presserint, id quod omnes docent tam rerum & hi-
storiarum, quam personarum circumstantia, nec
ulla ratio contrarium evincere poterit. IV. Quod
Matthæus aliter ac Lucas fecit, legales etiam ad-
optivorum filiorum successiones apponere voluit;
Id quod probatur 1. quia pensi non habuit genera-
tiones quasdam integras omittere. 2. quia Iosephi
genus recensere voluit, qui tamen non naturalis,
sed tutelaris tantum pater Christi fuit. 3. quia
Zorobabelem facit filium Salathielis, de quo pau-
lo post. 4. quia Iehiskiam facit filium Ahas, cum
tamen ex historijs sacris pateat, tempore nativita-
tis Iehiskie, puerum fuisse Ahas annorum unde-
cim. Omnes enim anni Ahas fuerunt 36. 2. Reg.
16, 2. 2. Par. 27, 1. qui anno 3. Osee Regis Israel
mortuus est, confer v. i. c. 17. 2. Reg. cum v. 2. c.
16. eodem autem anno Iehiskias annorum erat
25. 2. Reg. 18, 1. quibus à 36. annis Ahas detractis
remanent XI.

IV. Vera igitur sententia eorum est, qui Mat-
thæum dicunt Iosephi, Lucam verò Mariæ descri-
psisse

psisse originem, primordium diversitatis in Salomone & Nathane ponunt, post quorum nominationem licet in nominibus interdum convenire videantur, in personis tamen nunquam consentire posse affirmant. Quod ut eò melius appareat, ea, quæ in Matthæi Genealogia videntur observanda, dilucidius explicemus.

V. Initium is facit à Davide & Abrahamo, quorum in vestibulo imprimis mentionem facit, quia sicut his totius Iudaicæ gentis, ita ille familiæ Christi fons est & origo, tum etiam quoniam his duobus singulariter Christus fuerat promissus. Eorum progeniem in tres distribuit tesseradecades, quarum quælibet aliquam illustrium mutationum regimini Israelitici terminat periodum. Vt enim prima majori ex parte sub Iudicum fuit imperio, ita secunda Reges ipsa enumerat, & tertia unâ cum Populi principibus suum sumit principium.

VI. In prima nos iterum suaves & pias Veterum de nomine Abrahami conceptas cogitationes videamus. Huic cum antea vocarerur Abram, nomen sine mysterio, dicunt, DELM literam Δ addidisse. In nomine enim Δ Δ Δ , teste Hieronymo, principium significat, patremq; notat: Δ verò copulativa Spiritum sanctum representat, qui amor & nexus copulans dicitur, At Δ quod esse significat, filium indigitat, cum omnia, quæ esse habent, per illum facta sint. Joh. 1, 3. idq; geminetur ob duplicem filij naturam. Inde putant, DELM hanc ipsam literam Δ nomini Abrahami (ut & Saræ) inse-

in servitute, ut indicaret ex ipsius progenie filium
DEI carnem assumpturum.

VII. Secunda Tesseradecados initium, dissensio-
nis etiam inter Evangelistas est initium, Alter
enim incipit Iosephi ex Salomone, alter Mariæ ex
Nathanae Davidis filijs familiam recensere, ideoq̃
ad finem usq̃ in personis non concordant. Omisit
autem Matthæus post Ioramum filium Iosaphat
tres Reges Ochoziam, Ioas & Amasian, ipsumq̃
adeo Athalian, hujus facti rationem vide apud
Chemnitium.

IIIX. Observanda autem hic eorum, qui unam
Genealogiam utrumq̃ S. scriptorem descripsisse vo-
lunt, Scripturæ mirabilis detorsio, Ex Philonis
enim breviario temporum affirmant posteros
Solomonis usq̃ ad Athalian tenuisse regnum, quâ
deinde cum filijs extincta translatum illud sit ad
familiam Nathan. Præterea Ioas (primum scilicet
ex ea familia) & omnes deinceps Reges fuisse bi-
nomines, quorum aliquos enumerat ille Philo: Ioas
Heli Simeon (hic quidem trinominis) Her Manaf-
ses: Ezechias Iesus. Putant igitur Simeonem illum,
quem Lucas Iudæ filium fuisse dicit, eundem esse
cum Ioas, & sic consequenter, usq̃ ad Iechoniam,
quem ut verisimilior sit hæc conjectura, ideo Neri,
id est, lucernam meam vocatū ait Philo, quia cum
ab Evilmerodacho ex carcere ductus fuerit, lucerna
David, quæ extincta videbatur, iterum illuxerit.

IX. Verum, ut non inficias imus, nonnullos Re-
ges fuisse binomines. Nam Ochozias vocatur Io-
achaz,

achaz, 2. Par. 21, 17. Ozias Azarias, 2. Reg. 15, 1. ita hanc sententiam recipere non possumus, Præterquam enim, quod hic Philo merito spurius iudicatur licet eum Annius, Lucidus & Beauxames alijs recipiant ut genuinum, aperte hæc opinio pugnat cum Scriptura. Nam 2. Reg. 11, 2. & 4. 1. Par. 3, 11. Ioas disertè vocatur filius & quidem minimus natus Ochozia, qui absq; dubio ex posteritate Solomonis fuit. Deinde hæc conjectura de duplici Regum nomine. 1. Scripturam non habet præviam, 2. vim & injuriam Genealogiæ infert. Nam à Simeone, quem illi Ioas faciunt, ad Neri, quem Iechoniam volunt, inclusive 12. inveniuntur nomina, sed in catalogo Regum undecim tantum generationes numerantur. Nec juvare illos potest, quod dicunt Addi fuisse Ioachaz & Melchi Ioachin seu Eliachin: sequeretur n. Addi & Melchi fuisse fratres, ut sūt Ioachaz & Ioachin. 2. Par. 36, 4. id quod contra Lucam est, qui alteram alterius facit filiū.

X. Restat controversia maxima, quâ ritè decisa, quicquid in hac re controversi potest, facili negotio decidi potest. An idem Salathiel, qui est apud Matthæum, cum eo sit, quem Lucas dicit fuisse filium Neri? Nos negativam tenemus eamq; his rationibus firmamus, 1. Quorū scriptura diversos nominat naturales parentes, illi unus & idem esse nequeunt. Atqui scriptura Salathielis diversos ponit & c. E. Minor probatur, Quia Salathielis apud Lucam naturalis pater est Neri, legalem n. successionem non attendit Lucas. Apud Matthæum Salathielis pater

In Com-
ment. super
Phil. Lib. 7
In Concor-
dia.

nath-

naturalis est Iechonias rex ultimus, id quod insu-
per probatur 1. Par. 3. 17. ubi vix probabilis est
conjectura. F. Junij, de legali patre, pugnat enim
cum scopo totius libri omnibusq; circumstantijs. Nec
Iechonias in universum fuit orbis, seminis enim
ejus mentio fit projecti, Jerem. 22. 28.

XI. II. Quibus in Scriptura longe diversi assi-
gnantur filij, illi unus & idem esse nequeunt. Atqui
& c. Ergo. Minor probatur. Quia Salathielis, qui
est apud Lucam filius Zorobabel, Hag. 1, 1. &
12. c. 2. 3. & 24. Neh. 12, 1. Illius vero, qui Iecho-
niae filius est, alter ille Zorobabel apud Matthaeum
non filius, sed ex fratre nepos est, 1. Par. 3, 18, 19.
Tenuis enim valde videtur suspicio eorum, qui illius
ex filio nepotem volunt, quicquid autem sit, eodem
res recidit. III. Is, cujus semen sedit super thro-
num & dominatus est, non est idem cum eo, quem
DEUS ipse solio & dominio penitus interdixit.
Atq; Salathielis, qui est apud Lucam, semen se-
dit & c. quem vero Matthaeus facit filium Iecho-
niae; illum & c. Ergo. Minorem probamus, quia
Salathielis filius Zorobabel fuit Princeps populi seu
Dux Iuda, Agg. 1, 1. de quibus phrasibus illa. domi-
nari super solio & sedere & c. usurpatur Zach.
6, 13. Alter vero Salathiel, ejusq; filij non debue-
runt sedere super solium, id enim DEUS inter-
dixerat Jerem. 22, 30. c. 36, 30. Futilis autem
est eorum exceptio, qui per semen filios tantum in-
telligi volunt non nepotes, cum semen ita absolute
posi-

positum totam progeniem posteritati notet. 2. Samuel. 7, 12. idq³ in infinitas usq³ generationes, vide 1 Cor. 11, 22

XII. Sic vidimus Matthaeum ex Salomone familiam Iosephi deduxisse, jam videamus Lucam Mariae genus ex Natbane numerantem; plerasq³ difficultates jam ante solvimus, una tantum atq³ altera restat. Nam de Cainan filio Arphaxat quaeritur, an is sit genuinus. Nos statuimus, culpa librariorum, vel aliorum etiam, qui hoc nomen apud 70. legerunt, in Lucam irrepsisse. Cujus sententiae confirmationem solidam, qui velit, legere poterit apud Pareum in Comment. supr. Genesin.


XIII. Quousq³ duraverit Principatus in familia Nathanis nostrum non est quaerere. Sufficit nobis ex Ezechiele c. 22, 26, 27. scire, quod Cidaris, in quam mutata est corona, & quae ducum fuit insigne, antequam veniat is, cuius est iudicium, obliqua sit ponenda. Cur autem Lucas Patrem Mariae vocat Heli qui tamen vulgo Ioachim audit? Dicunt pleriq³ scripsisse Lucam Heli per Ἡλιαχμ pro Heliachim. Iam vero Heliachim & Ioachim idem videntur esse nomen, quia 1. idem omnino designat: DEus suscitabit. 2. Pontifex, qui Judith. 4, 5. vocabatur Eliachim, ubi c. 15, 9. sit Ioachim; & Pharao 2. Reg. 23, 34. nomen Heliachim venit in Ioachim. Perinde igitur est sive Heli nominatur sive Heliachim, sive Ioachim, cum unum & idem nomen sint.


XIV. Causa autem, cur loco Mariae substituerit Iosephum, precipuas dare solent eas. 1. Quia nec apud Hebræos nec in Scriptura moris sit, ut mulierum genus recenseatur, sed tantum viri tanquam præstantioris partis. Objici potest, cap. 8. Judith, ubi genus Iudith recenseatur. Sed Resp. solet, in eo capite describi genealogiam solius fœminæ viduæ & in ea totam terminari seriem. Viri autem genealogiam per fœminæ genus non inventi describam. 2. Ut in statu humiliationis Christus haberetur Iosephi fabri filius. Cuilibet sanum esto iudicium. Nos ob chartæ angustiam properamus ad finem.

C A P U T III.

Multarum sanè memoria dignarum rerum admonere nos possent hæ Genealogiarum Christi descriptiones. Patres nonnulli Genealogiam hanc conferunt cum linea piscatoria. Nam cum dicitur: Abraham genuit Isaac & c. quedam quasi linea torquetur, cuius extremo Filius Dei carne humanitatis suæ tectus hami instar appenditur, & in profundum huius seculi mittitur pelagus. Hoc hamo Diabolus captus est, quia in redemptore nostro dum escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit & c. Nos ex eis discimus, promissiones divinas, licet ad tempus, ut nobis videtur nimium dilatas, tandem impleri. Davidi quidem promissum erat semen benedictum, penè tamen exaruerat radix Iesse, & de regio solio deturbata fabrilis instrumenta respiciebat, cum ecce promissis ante tot annis factis repente fides exstitit, ut vere dicere possimus, Tarditatem ut in comminationibus poenarum gravitate, sic in promissionibus beneficiorum ubertate largiter recompensare DEUM. Ipsi sit honor & gloria in secula.

F I N I S.





Farbkarte #13

B.I.G.

LOGIAS SACRÆ
 tio vigesima Tertia,
 De
CALOGIA
 CHRISTI.
 Quam
 uente Θεανθρώπων
PRÆSIDIO
IASARIS MEISNERI
 Theol. D. & P. P.
Collegio ad disputandum
proponit
S RAM Dithmarsus.
ad diem 22. August. horis
pomeridianis
 Auditorio minori.
TTEBERGÆ
ES Gormann excudebat,
 o cl. 1b. CXIX.

